

*magna*, advenientes admittit. A qua longa & spatiosa protenditur ad pontem platea elegantibus obfessa ædibus, quibus à tergo subjacent utrinque horti confiti, & post eos ad mœnia usque campi exercitiis dicati. In quorum australi quem faciunt cum flumine angulo, molem editiorem futuro castro, ut videtur, jactam, *Old bale* nominant, eminere vidimus, quam Guilielmus *Melton* Archiepiscopus (ut in Archiepiscoporum vitis legitur) *primum spissis, & longis 18 pedum tabulis, postea lapideo muro fortiter inclusit*, quæ jam tamen disparuerunt.

Foss. flu.

Pars Orientalis, quæ tota est ædificiis condensa, & angustioribus plateis conclusa, formam habet quasi lenticularem, firmissimis item mœnibus armatur, & ad Ortum brumalem *Fossi* profluentis satis limosi profundo alveo munitur, qui in ipsam urbem cæca via penetrans, ponte continetur ita ædificiis continuo, ut non pontem, sed perpetuum vicum nemo non judicet: pauloque inferius *Ouse* confluit, ubi ad ipsos confluentes è regione molis quam dixi, ad reprimendos cives firmissimum castrum loco oportuno excitavit Guilielmus Normannus. In quod vetustas libere jam diu sævit, ex quo Angli munita loca tanquam ad detractandam militiam receptacula neglexerunt. In hac etiam parte ad Ortum estivum Cathedrale templum Divo Petro sacrum, magnificum sane & perelegans confurgit, juxta quod extra mœnia, sed suis mœnibus & flumine inclusum nobilissimum Divæ Mariæ floruit monasterium, quod Alanus tertius Britannia Armoricanæ, & Richmondia Comes opulenta cum dote condidit; nunc autem in ædes regias conversum, vulgo *The Manour* appellatur.

The Manour.

Vnde Eboraci primordia repetam nisi à Romanis non habeo, cum Britanni ante Romanorum adventum non alia habuerint oppida quam sylvas fossa & vallo munitas, ut Cæsar & Strabo omni exceptione majores testantur. Vt igitur Ebraucum Regem, quem curiosa credulitas ex Eboraci nomine conditorem affinxisse videatur, taceam. Certissimum est, Legionem Sextam Victricem, quam Hadrianus è Germania in Britanniam traduxit, hic stationem egisse, Romanorumque Coloniam fuisse, cum ex Ptolemæi & Antonini autoritate, tum ex vetusta inscriptione quam in ædibus cujusdam Senatoris vidimus in hæc verba:

M. VEREC. DIOGENES IIIII. VIR  
COL. EBOR. IDEMQ. MORT CIVES  
BITVRIX. HÆC SIBI VIVVS  
FECIT.

Nec non ex Severi Imperatoris nummo in cuius parte aversa legitur,

COL. EBORACVM LEG. VICTRIX.

Victor ille quem Andr. Schottus nuper edit. Municipium Colonia.

Vnde vero Victor in Cæsarum historia Eboracum Britannia Municipium dixerit, cum Colonia fuerit, peto ut deliberem; nisi maluerint Eboracenses ut olim Prænestini ex Colonia in Municipii statum redigi. Colonia enim cum, ut Agellius habet, instituta, juraque omnia populi Romani, non sui arbitrii haberent, magis obnoxia, & minus libera conditione videbantur. Municipi-

autem suo jure ac legibus utebantur, Municipalesque tantum muneris cum populo Romano honorarii participes erant, nullis aliis necessitatibus astrikti, unde Colonias in Municipia immutari nequiquam mirandum. Sed quorsum ista? Hæc nominum differentia in Imperatorum historia non ita ad amissim observata est, quin unus idemque locus & Colonia, & Municipium dicatur. Severum tamen ex illo nummo Coloniam hanc duxisse non asseverare ausim, cum Antoninorum tempore Legionis VI sedem fuisse docuerit Ptolemæus. Severum autem hac in urbe suum palatium habuisse legimus, animamque in hæc verba hic exhalasse, *Turbatam Rempublicam ubique accepi, pacatam etiam Britannis relinquo*. Corpus ejus hic militari more à militibus elatum, impositumque in rogum, honestatum militum & filiorum ipsius decursione, in loco, sub hac urbe, ad Occalum juxta *Ackham*, ubi magna moles aggesta conspicitur, quam sua ætate Radulphus Niger *Sivers* à Severo dictum tradidit. Cineres in Severus. urnulam auream sive vasculum Porphyriticum repositi, Romæ in Antoninorum monumentum illati erant. Nec silentio involvendum, quod hac in urbe Bellonæ templum extiterit. Inquit enim Spartianus de hac ipsa loquens, *In civitatem veniens cum rem divinam vellet facere, primum ad Bellonæ templum ductus est errore aruspicias rustici*. Quo tempore Bellonæ templum. hujus urbis prætorium sive Tribunal fuit vel hoc nomine longe felicissimum, quod Æmilius Paulum Papinianum juris, & jurisprudentiæ oraculum audiverit, ut testatur Forcatulus. Et hinc certe Severus & Antoninus Augusti de iure consulti, rescriptum dederunt de rei vindicatione. Anno post Severi obitum plus minus centesimo Fla. Val. Constantius cognomento Chlorus, Imperator omnibus virtutibus & Christiana pietate insignis, qui huc (ut inquit Panegyristes) diis jam ad intimum terrarum limen vocantibus, accessit: hac etiam in urbe diem obiit, & Apotheosi in Divos est relatus, ut è nummis antiquis videre est. Quamvis Florilegus prodat ejus tumulum in Wallia repertum fuisse (ut jam diximus) fide digni tamen nobis retulerunt cum patrum memoria Monachorum ædes diruerentur, in cryptoporticu ædiculæ, in qua Constantium situm fuisse opinio erat, lampadem ardentem repertam fuisse. Veteres enim auro in pinguedinis liquorem arte soluto, diutissime, & per multa sæcula arsurum ignem in sepulchris fovisse scribit Lazius. Hic ex priore conjugæ Helena CONSTANTINVM MAXIMVM ROMANÆ VRBIS, ut est in antiquis Epigraphis, LIBERATOREM, QUI B-TIS FVNDATOREM, REIPUBLICÆ INSTAVRATORÈM suscepit. Qui Eboraci patris spiritum excepit, statimque in Imperatorem levatus. Purpuram (ut habet Panegyricus) *militibus utilitati publicæ, potius quam affectibus servientes illi injecere lachrymanti, equumque calcaribus incitanti, ut deposcentis exercitus fugeret conatum: sed modestiam ejus vicit Reipub. felicitas*. Vnde Panegyristes exclamat, *O fortunata, & nunc omnibus beatorum terris Britannia, que Constantinum Cæsarem prima vidit*. Et alibi, *Liberavit ille Britannias servitute, tu etiam nobiles illic oriendo fecisti*. Quæ verba ad natale solum Constantini iudicio eruditissimi Baronii & aliorum referenda sunt. Sed

L. I. C. Constantius Chlorus.

Constantinus Magnus.